

B. C. D.

DISSE¹⁶RAT^TO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
EXPERIMENTA NONNULLA
ET
OBSERVATIONES
DE BILE,
QUAM
PRO LICENTIA
GRADUM ET PRIVILEGIA DOCTORIS
RITE CONSEQUENDI
DIE XIV. MARTII ANNI MDCCCLXXIV.
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
GEORGIUS CHRISTIANUS
UTENDOERFFER
SMALCALDIENSIS.

ARGENTORATI,

Ex Officina JOH. HENR. HEITZII, Universitatis Typogr.



Ex. Quirinus Thomatis Hildesheimensis. Universitätsbibliothek Tübingen



PROCEMIUM.



De bilis natura, immenso licet experimenterum agmine investigata, certant Phyllogi & adhuc sub judice lis est. Neque diffensionum datur finis aut modus; quum singulos vix reperire sit, qui cum singulis per omnia consentiant. Reconditam sane hæc loquuntur & vix extricabilem liquoris indolem, ut merito hinc, *singulari mixtione ac natura humor*, Cel. GAUBIO audiat, idoneo, si quis alias, harum rerum æstimatori; verissimumque deprehendatur sapientis MUSSCHENBROECKII effatum: *pauca experimenta nos confidentes reddere, audaces, temerarios, glorioſos; multa, incertos; plurima denique ac humana mā fere superantia patientiam ad aliquid concludendum — nos eminus præparare.* Quæ

A 2

quum ita sint, minime desperandum, sed urgendus
 alacriter labor improbus. Nostræ si negatur ætati,
 dabitur fortasse posteris, has tenebras dissipare.
 Est aliquid, expedire vias & removere obstacula,
 quibus ad verum accessus impeditur. Sic symbo-
 las pro virili parte conferimus & officio satisfaci-
 mus. Non alio equidem animo hoc bilis examen
 suscepit, alienissimus a spe pleni successus. Occasio-
 nem præbuit Cel. CADET, Academicus Parisinus;
 qui nova quædam & nunquam audita de bile docuit.

Mem. de l' Acad. des Scienc. A. 1767. 1769. Ad exem-
 plum Cl. Viri, quo facilius effet analysi five edu-
 citorum seu productorum examen, majora passim
 pondera bilis experimentis subjici, tot libras, quot
 alii quandoque drachmas. Quædam pericula non
 persecutus sum quoad licuisset, morbo primum
 impeditus, abhinc aliis distractus, alienis ab hoc
 studio laboribus. Plura omisi, quæ ad propositum
 mihi scopum parum facere videbantur, veniam
 facile impetratus, quo certior spes affulget, non
 defuturos, qui similem posthac laborem resumant.
 Commodo Lectoris & meo, experimentorum plero-
 rumque tanquam summam & conjectaria quædam
 exhibeo.

§. I.

Bilis bubula, abacta leni calore, aquosa sui
 parte vaporum specie, Extracti formam induit.

§. II.

Destillatione quam vocant, Chemica, resolvitur
 in aquam, alcali urinosum, forma tam sicca quam

◎ ◊ ◊

fluida, oleum empyreumaticum duplex, primo liquidum, dein spissius, atque carbonem nigerrimum. Carbo aperto igne combustus in cinerem, elixivationis ope imprægnat aquam salibus culinari, alcali minerali & pauxillo forte alcali vegetabilis. Quod remanet, terra est, cui nigredo pertinaciter usque inhæret; id quod fere cineri animali proprium est.
MAQUER *Dictionn. de Chymie.* T. I. p. 247.

§. III.

Dum in sartagine primo inspissatur, dein aucto igne in cinerem comburitur, præter alcali volatile & oleum, terra atque salia eadem obtinentur.

§. IV.

Acida, imprimis fossilia, producto coagulo separant aquosam a pingui parte. Aquosa fit menstruum variorum salium, quæ evaporatione aquæ conspicua fiunt. Vitrioli acidum sal mirabile Glaucri & seleniticum exhibet; Nitri spiritus nitrum quadrangulum. Pinguis pars induit speciem & naturam sœpe corporis resinosi.

§. V.

Putrida bilis alcali volatile in promptu habet, cum acidis præsertim mineralibus manifeste effervescens, & sub distillatione cum primis aquæ vaporibus in excipulum transeuns.

A 3

§. VI.

Terram (§. I.) calcareæ indolis esse, sequenti experimento confirmatur. Cinerem a destillatione vel calcinatione superstitem ubi solvisti spiritu nitri, præcipitabitur inde salis selenitici specie ope spiritus Vitrioli; pulveris cœruleſcentis forma ab alcali fixo. Idem evincit sal seleniticus (§. IV.) productus ab acido vitriolico.

§. VII.

Ferri vestigia equidem in bile nulla deprehendi. Salis ammoniaci dimidiā drachmam mixtam cum cineris calcinatæ bilis drachmis duabus, quum ex retorta in sublime egi, flores candidissimi ascenderunt, ferrugineo colore ne levissime quidem contaminati. Neque etiam fufus ad ignem lampadis, cum addita pinguedine, cinis ferri vestigia ulla stitit, admoto magnete.

§. VIII.

Sal culinare, quod ex calcinatæ bilis cinere prodit, quin integra in bile contineatur, dubio plane caret.

§. IX.

Fossile alcali e bile protrahunt incineratio, & acidi spiritus minerales Vitrioli atque Nitri. Hujusmodi alcali, quod a destructo sale communi non nulli derivant, quum ROUELLIUS *Journ. de Med.*

Juillet 1773. ex Sero sanguinis citra torturam ignis elicuerit, ejusdem & in reliquis animalium partibus præsentiam demonstraturus, quid miramur in bile præsto adesse? At, quænam ejus in corpore animali origo, difficile dictu. Anne cum alimentis, quibus continetur, penetret in corpus? An ex sale communī viribus animalis naturæ dissoluto prodeat? An vero potius ejusdem œconomiae animalis efficiacia ex suis elementis demum exsurgat?

§. X.

Sale volatili alcalino videtur mihi carere bilis integra. Recens enim e retorta destillat initio liquorem mere aquosum, necessario futurum alcalinum, siquidem alcalinum hoc volatile liberum in bile recenti adesset. Quæritur, utrum cum acido quodam in salem ammoniacalem concretum forte adsit? Videtur nec hoc admitti posse. Bilis recentis quatuor uncias, cum salis tartari semuncia miscui in vase retorto; quumque leni calore ignis aliquot drachmæ phlegmatis transtillaſſent, hoc exploravi spiritu Vitrioli, syrupo Violarum, solutione Mercurii in acido Nitri, solutione Veneris; atque mere aqueum deprehendi, futurum alias alcalinum, si unitum acido cuidam urinosum alcali fuisset. Neque magis efficax ad extricandum alcali urinosum ipsa calx viva fuit, quum hujus uncias duas, atque dimidiam, cum bilis recentissimæ septem unciis simili per omnia experimento subjeci.

§. XI.

Quodsi igitur cum celebrioribus Chemicis recipias; alcali omne, præfertim volatile, oriri ex acido: sequitur ultro esse in bile acidum quoddam principium, quod ignis & putredinis efficacia in alcali volatile degenerare aptum sit: Acidum quippe *animalē* vulgo dictum, ex acido vegetabili vi animalis organismi in eam indolem mutatum, vel qualicunque modo larvatum, ut vulgares ceterorum acidorum effectus vix exferat. Hujusmodi acidum, cuius vestigia pleraque partes animalium offerunt, videntur admittere, qui ammoniacalis naturæ sal bili tribuunt. Idem qui denegant bili aliisque animalium partibus, vereor ut satis intelligent, quibus ex causis putrida fermentatio oriatur? quid accidat acido vegetabili intra corpus animale delato? & unde in eodem urinosum alcali producatur? Multo magis mirum tibi videbitur, acidum illud rejici ab eo, qui faccharo lactis analogum sal, vegetabilis quippe originis, & indolis acidæ, eruuisse ex bile sibi videtur, prætereaque fermentationi acidæ bilem aptam existimat; quod quidem ita certum est, ut vegetabilis prosapiaz corporibus non paucis pro fermento esse possit.

§. XII.

Verum ejusmodi saccharum lactis neque mihi contigit extricare operose inquirenti, neque nuperimo bilis exploratori TENHAAF, *Dissert. inaugural.*
de

de bile cystica vulgo dicta. Lugd. Batav. 1772. Quid!
quod non potuit faccharum lactis combustæ bilis
cinere contineri, quod igne destrui, novissima ROU-
ELLII experimenta testantur. *Journ. de Medic.*
Mars 1773.

§. XIII.

Pinguis pars bilis quid sit, omnium minime
mihi videtur exploratum. Purum oleum non esse,
etsi destillatio tale largiatur, docet inspissatæ bilis
contemplatio & coagula ab acidis generata. Variæ
sunt de ea opiniones. Cum acido animali concre-
tam in resinæ speciem, diversam a resinis vegeta-
bilibus & mineralibus, quam resinam hinc *ani-
malem* vocant, nonnulli volunt; ferosique humo-
ris coagula admista suspicantur. Dupli constare
substantia, caseosa altera, altera pingui balsamica,
utcunque resinosa, prohibet TENHAAF *l. c.* Hic
mea deficiunt experimenta.

§. XIV.

Quum a principiis ex quibus, composita sunt
corpora naturalia, pendeant eorum natura & vires;
hinc a Medicinæ primordiis pro varietate principio-
rum, quæ vel experimentum vel opinio bili tri-
buit, diversæ de ejus natura atque utilitate hypo-
theses surrexere; ex quibus longe maximam auto-
ritatem illa adepta est, quæ ex saponaceis ejus vi-
ribus chyli in intestino tenui elaborationem deri-

B

vat. Natales suas hæc debet observatæ origini lactei istius succi, eo ipso in loco in quo maxime bilis alimentis admiscetur. Confirmari hoc plerisque videbatur ex ipsa principiorum mixtione; unde saponem alii ex alcali volatili & oleo animali; alii, quo magis ad vulgaris saponis naturam accederet, huicque æquiparari, quin anteponi posset, ex alcali minerali & pinguedine compositum esse voluerunt, solutum humore aqueo animali, cum variorum salium aliarumque substantiarum faragine, quæ quidem ad saponis essentiam pertinere nemo facile dixerit.

§. XV.

Quodsi vero ab effectu potius quem præstant, quam a principiis, quibus constant, spones dijudicandi sunt, turpiter errare mihi videntur, qui, simul cum sale oleum ex bile elicuerunt, saponem continuo clamitant, posthabito omni experimento.

§. XVI.

Prudentiores potius sic existimant, si saponis efficaciam habeat intra corpus, ejusdem & extra illud vestigia debere deprehendi: quo circa varia experimenta instituta sunt, verum contrario plane haud raro, quod mireris, eventu, ut ex similium experimentorum diverso exitu hic confirmet, ille rejiciat saponaceam indolem, magnæ uterque auctoritatis Viri, ut anceps hæreas, utri fidem addicas.

§. XVII.

Lac animalium, quum addito sapone, longiore
intervallo temporis integrum perfstare videretur,
credimus est, salvam fore bilis saponaceam natu-
ram, si recens addita lacti recenti coagulum ante-
verteret, coactum in integrum restitueret. Captis
experimentis numerosis, affirmant alii, alii negant.
Ego vero saepe tentando tandem comperi, pendere
diversum eventum maxime a varia bilis ad lac
ratione, ut v. g. si sex partibus lactis recentissimi
unam modo bilis recentis itidem misceas, incale-
scant una ad focum, imo ebulliant, integro ma-
nente lacte: contra, si æquali portione bilem & lac
commisceas, coactum post primam ebullitionem
tibi lac sit. Qui similibus experimentis demonstrari
volunt saponaceam bilis naturam, ex iis merito
quæras, cur sexta pars bilis saponaceas, dimidia
contrarias vires exferat in eodem lacte? Lac cogi
a bile affirmat TENHAAF l. c. Qui vero ab alcali
fossili bili admixto pendere lactis conservationem,
ejusdemque coacti restitutionem persuadere no-
bis conantur, propterea quod alcalina salia princi-
piorum lactis fecessum impedian, ejusque coagula
denuo resolvant, propositionem ii experimento
confutatam erronea argumentatione, experientiæ
itidem contraria, stabilire nituntur. Nam turbari
ab alcalino sale lactis mixtionem, diversa licet ab
acido ratione, ego comperi affuso lixivio cinerum
vulgari, & idoneo teste possum confirmare. MA-
QUER *Dictionnaire de Chymie*. T. II. p. 12.

§. XVIII.

Quæ cum oleis variis atque resinis pericula facta sunt, pariter in utramque partem trahuntur. Olea & resinæ ex aqua bilis interventu emulsionum in speciem suspendi affirmant hi, negant illi. Horum ex agmine excitare lubet, nuperrimum auctorem ex schola Gaubiana, TENHAAF l. c. Mihi quidem curta est in hoc genere experimentorum supplex. Duo tamen, si lubet, institues, quo possis judicare, quid distet a sapone vulgari bubulae bilis efficacia. Bilis uncias sex cum olei olivarum drachma in cochleari ferreo coque horæ spatio, si lubet, perpetua sub agitatione, perque vices affunde pauxillum aquæ; quum ab igne removeris, purum oleum teget liquoris superficiem. Saponis veneti drachmam solve tribus unciis aquæ; solutioni huic frigidæ, vitro inclusæ affunde olei olivarum drachmam, succute semel aut bis, disparebit momento temporis absorbtum oleum; emulsionem veram habebis candidissimam; perge sic affundere per vices oleum ad unciam unam & ultra, si lubet; eundem semper habebis eventum; saturatior, spissior fiet emulsio tua pro majore adjecti olei portione; oleosi nihil discernet oculus.

§. XIX.

Abstergens bilis virtus, qua fordes varias & pingues maculas e pannis eluit, minime omnium controversa est, eamque admittunt, qui sapona-

ceam negant. MARHERR *præf.* in *Boerb.* Tom. I.
TENHAAF *l. c.* Hanc a saponacea natura plerique
repetunt. Imo sunt, qui hac dote bilem ipsi saponi
vulgari antecellere volunt. Sed hi nimii mihi vi-
dentur. Solent fere lotrices bilem adhibere furfu-
rum decocto admixtam, abluendis pannis quorum
coloribus vel ipsi materiæ a nimia vulgaris saponis
acrimonia damnum aliquot timent. Ubi vero pin-
guedinofic fordæ his pertinacius inhærent, ulti-
mum est in sapone præsidium. Pingue quod e pan-
nis saponata aqua eluitur, speciem huic emulsionis
induit, quod fecus accidit, dum bilis ope extergi-
tur. Videtur ideo a diversa causa abstergens vis-
ibilis repetenda esse.

§. XX.

Ponamus autem evictam satis superque experi-
mentis saponaceam bilis indolem, minime tamen
inde statim sequitur, primarium ei in officinachyli
saponis officium a natura assignatum esse. Nec
levia obstant dubia & difficultates, quæ suspensos
tenent sinceros quoslibet veritatis investigatores.

§. XXI.

Primo quidem repugnare videtur tristis bilis
color & amarus sapor, quorum vestigia necesse fo-
ret in chylo deprehendi, siquidem ista vinculum
esset, quo hujus inter se principia necterentur.
Quodsi statuas, elaborato chylo, bilem inde rursum

segregari; queritur, quanam id virtute fiat? Fac fieri! sublato vinculo, solvetur nexus, divortium facient chyli principia pinguia ab aquosis.

§. XXII.

Porro, si vel maxime largiamur, saponacea vi chylum confici, dubitari potest, an omnino bilis interventu opus sit, quum & cibi nostri magna sui parte saponaceis constent succis, quibus præterea miscentur saliva, mucus, liquor gastricus, intestinalis, pancreaticus, succi pro saponaceis plerique habiti, neque ulla adversa chylo dote instructi.

§. XXIII.

Denique, quum animalia bene multa ex succis saponaceis vegetabilibus, quibus unice nutriuntur, optimæ indolis chylum confiant, ex quo pingue lac ubera subit, & enormis sœpe pinguedinis copia in cellulosum textum deponitur, facile in eam induceris cogitationem: animalia ista omnia adeo non indigere saponacea bilis opera, ut potius contraria plane ratione chylus illis perfici videatur, segregatis nempe ex saponacea alimentorum natura, & sui juris denuo factis oleofis moleculis.

§. XXIV.

Quum itaque talibus dubiis Boerhaaviana chylificationis theoria prematur, neque etiam excogitatae ab aliis (MACBRIDE, MARHERR &c.) hypotheses ex omni parte satisfaciant; malo equidem, nulli

parti addictus, meam in hoc physiologiæ capite ignorantiam ingenue fateri: uberrimumque mei qualisunque laboris fructum assecutus mihi videbor, si investigandæ amplius bilis naturæ atque utilitati, elucidando penitus, si sperari possit, chyloloëfis negotio, quia vindicandæ bilis saponaceæ indoli, hæc, quæ animo veritatis amante proposui, felicioribus ingenii ansam dederint.



THESES.

I.

Methodo antiquiore æque ac Petitiana & Tayloriana cataracta in humorem vitreum deprimitur.

II.

In fistulæ ani exploratione specillum corneum argenteo præferendum esse censo.

III.

Causa, cur fœtus respiratione carere valeant, forami ovali & ductui arterioso Botalli solis non adscribenda est.

IV.

In Peripneumonia & Pleuritide morbi sedes omnino distincta est.

V.

Pulsus celer non semper ad febris essentiam requiritur.

VI.

In partu, quo clunibus præviis fœtum extrahere valemus, digitis unci instar flexis infantem arripere perniciosum est, satius atque securius longe digiti non flexi illis applicantur.

VII.

Vectis Roonhuysonianus, ceu homodromus tutius & efficacius, quam vectis heterodromus applicatur.

VIII.

Sanguis, qui stillatim profluit tempore, quo partus instat, rupturæ vasorum, quibus membranæ cum utero necuntur, potissimum debetur.



VD18

ULB Halle
008 342 954

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow


Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13



B. C. D.
ISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
EXPERIMENTA NONNULLA
ET
OBSERVATIONES
DE BILLE,
QUAM
PRO LICENTIA
RADUM ET PRIVILEGIA DOCTORIS
RITE CONSEQUENDI
DIE XIV. MARTII ANNI MDCCCLXXIV.
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
GEORGIVS CHRISTIANVS
UTENDOERFER
SMALCALDIENSIS.

ARGENTORATI,
Ex Officina JOH. HENR. HEITZII, Universitatis Typogr.